THESES THEOLOGICÆ EX TRACTATU DE PONTIFICE SELECTÆ, QUAS, ...

Gaspare Fabri, Domenico Maggion

Digitized by Google

THESES THEOLOGICÆ
EX TRACTATU
DE PONTIFICE SELECTÆ,
QUAS, AUSPICE
ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO
PAULO FRANCISCO JUSTINIANO
PRÆSULE TARVISINO,
PUBLICO CERTAMINI EXPONIT
DOMINICUS MAGGION
SEMINARII TARVISINI ALUMNUS,
AUDITOR ADMODUM REVERENDI
GASPARIS FABRIS
CONCORDIENSIS.



TARVISII, MDCCLII.
Typis Gaſparis Plantæ Typographi Epiſcopalis:

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

690

Digitized by Google

PRÆSUL
ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME.

UT commendatio, ac favor libello huic noſtro, in quo contexendo, quanta maxima potuimus diligentia, ac contentione, fuimus occupati, ut dignus, quoad noſtræ ferunt vires, tuis auſpiciis exiret, ſplendorem aliquem, ac decus adderet; prodeunt in lucem, publicamq. concertationem nonnullæ de Summo Pontifice poſitiones ſelectæ nomen tuum præſeferentes, tibique nuncupatæ, Præſul Illuſtriſſime. Miraberis fortaſſe, miraberis, nos de cæteris Theologicis fontibus, ex

Digitized by Google

quibus vis, ac robur univerſæ Theologiæ derivatur, altum tenere ſilentium, &, cum cœteras alias, tum eam partem, quæ de Verbo ſcripto diſſerit, quod quidem finiendarum controverſiarum in Eccleſia Dei indubium exhibet κάνονα, reliquam feciſſe. Hoc mehercule factum eſt, non quia vel ejus jucunditatem negligamus, vel utilitatem ignoremus, ſed quia tuæ huic juventuti, quæ Clericali militiæ nomen dedit, teſtatum volumus, e re ſua eſſe in hiſce potius, quam aliis Theologiæ fontibus naviter verſari. In his igitur pertractandis in paleſtræ noſtræ umbra eam operam collocavi, ut probe tu, ut plane omnes intelligerent, ſpartam, quam nactus ſum, ornandi, vires fortaſſe, animum certe quidem mihi non defuiſſe. Levia ſunt hæc quidem, nec profecto te Præſule, quem Epiſcopum, ac Paſtorem auctoritate veneramur, judicem doctrinæ timemus, charitate patrem amore proſequimur, digna; ejuſmodi tamen ſunt, qualiacunque ſint, ex quibus, quanti te faciamus, & quantopere tibi ſtudeamus, intelligas. Jam ſe nunc offert, ne mihi, officioque meo defuiſſe videar, ſupplicationi locus. Expoſcam ne a te mihi labenti favorem, trepidanti præſidium, opem laboranti? Ab Epiſcopo, ac Domino expoſcam, a Patre, quod ultro concedit, non expoſcam, ea primum veluti ſponſione facta, ita me naviter obediendo uſque exhibiturum filium, qualem te ipſe dulciter imperando Patrem præbuiſti, ac præbes.

THE-

Digitized by Google

THESES THEOLOGICÆ
EX TRACTATU
DE ROMANO PONTIFICE
SELECTÆ.

I.

BONE Deus! Quam impia hominum mens! Ut faciliorem ſibi viam pararent Hæretici ad convicia in Romanum Pontificem vomenda, aliquid dignitatis Chriſto Domino detrahere non erubuerunt. In hoc palmam præripuit M. Antonius de Dominis, qui, eundem, dum inter homines viator degeret, Capitis viſibilis, & Monarchiæ officium ullum in Eccleſia, quam ſanguine ſuo ſibi glorioſam, immaculatam, & ſine ruga exhibuit, exercuiſſe negavit, atque hanc prærogativam, poſtquam aſcendens Beatorum ſedes occupavit, & ad dexteram Patris conſtitutus fuit, ſibi tantum vindicaſſe pronunciavit: hujus autem mendacii impudentia tot retunditur armis, quot Sacramenta inſtituta, Miniſtri electi, Leges ab ipſo Redemptore conditæ fuerunt.

II.

Calvinus autem M. Antonio vetuſtior animadvertens, Dei Unigenitum prima noſtræ Religionis fundamenta je-

Digitized by Google

694

ciſſe, & quomodo ubique terrarum ex omni genere ſuperædificandi eſſent homines, indigitaſſe, eum, cum adhuc eſſet in via, Monarcham viſibilem non eſt inficiatus: dum autem ſubtraheret aſpectum ſuum ab oculis noſtris, nullum ſibi Vicarium, qui univerſæ præeſſet Eccleſiæ, ſubrogaſſe, audacter jactitavit. Conficta ab hoc igitur ſophiſmata diluentes ex Cœleſtis Magiſtri inſtitutione, unum in Eccleſia eminere debuiſſe, ſalvo perfectioris unitatis ſtatu, contendimus.

III.

Hoc Fidei dogmate conſtituto, ſponte fluit, aliquem electum, & ſupra cœteros conſtitutum, qui ſuprema in Eccleſia auctoritate fulgeat: verum, cum tria ſint præcipue, ex quibus deducimus, D. Petrum hanc ſortitum fuiſſe dignitatem, teſtimonia, ſcilicet: (a) *Tu es Petrus....*, quo promiſſus Primatus illi indicatur: (b) *Paſce oves meas....*, quo collatus intelligitur, & illud: (c) *Surgens Petrus dixit .... Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere.....*, quo ſolemnis in Concilio Apoſtolico ſententiæ pronunciatione confirmatus agnoſcitur, ea convellere conati ſunt Hæretici, utque id præſtarent, & ad alios ſenſus detorquerent, nihil intentatum reliquere. Ex his ergo, atque aliis Scripturarum textibus, Patrum Sanctorum Traditione, Concilio-

rum

(a) *Matthæo c. 16.* (b) *Jun: c. 21.* (c) *Luc: act. 15.*

rum auctoritate, oves, & agnos, ſeu Apoſtolos, & Epiſcopos, Coadjutores, cæteroſque cujuſcunque ordinis Fideles ſubditos D. Petro extitiſſe, tuemur.

I V.

Si Petra, cui innititur Eccleſia, cum in ævum ſempiternum ſit duratura, nunquam eſt ſubtrahenda; ſi Paſtor ſupremus inviſibilis, cui oves cujuſqunque ætatis ſunt commiſſæ, non eſt tollendus; ſi ſupremus Doctor, ex cujus ore verbum Evangelii audire debent Gentes omnium ſæculorum, non eſt dejiciendus (quæ omnia ipſe Deus locutionibus ſupra laudatis videtur innuere) jam, ut una ſemper monſtraretur Eccleſia, ſchiſmatis tolleretur occaſio, & iis, qui erant aggregandi huic cœtui, magis ac magis conſuleretur, Petro pro omnibus ſucceſſoribus, ſeu in perſona Petri ſucceſſoribus illam poteſtatem Chriſtum contuliſſe, adeoque e vivis ſublato Petro, aliquem de jure Divino ſuccedere debere, notum, compertumque eſt.

V.

Poſtquam publici Eccleſiæ hoſtes omnes vires, omneſque conatus contra ſupremam ſedis Apoſtolicæ dignitatem exeruerunt, libenti animo hypotheſim, qua tanto fulgeat D. Petrus honore, admittunt. Num candida erga Superiorem benevolentia? odio tabeſcunt. Num ſplendore veritatis perſtricti? in meridiana luce pertinaciter

Digitized by Google

cæcutiunt. Quo igitur tanta indulgentia, & benignitas? ut novis armis aggrediantur, noviſq: ictibus feriant noſtram Fidem: & ne a veritate alienum videatur, utrum hic Princeps Apoſtolorum Romæ prædicarit, in dubium revocant, ac pluribus cavillationibus, numquam illam Urbem incoluiſſe, ſumma, qua ſolent, audacia effutiunt. At primum ibi doctrinam Chriſti ſeruiſſe, viginti quinque circiter annorum ſpatio cathedram Epiſcopatus a ſe fundatam rexiſſe, & glorioſo martyrio coronatum, omnes quindecim ſœculorum ſcriptores de hoc agentes, utut in aliquibus dicendi modis diſſideant, manifeſte comprobant.

V I.

Hactenus duo evicimus, alterum ex inſtituto Chriſti, ſcilicet ipſum in Petro Pontificatum nulla temporis diuturnitate conſumendum fundaſſe; ac proinde, quicumque Petro ſuccedit, a Chriſto ſupremam hanc poteſtatem accipere: alterum ex facto Petri, nempe ipſum voluiſſe tenere cathedram Romæ, eamque teſtimonio ſanguinis ſui illuſtrare: tertium neceſſario ſequitur, Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, & in univerſum terrarum Orbem tenere primatum, & ipſi in B. Petro regendi omnes Fideles traditam eſſe poteſtatem, quemadmodum in ſcripturis, in S. S. Patrum dictis, in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, in judiciis contra reos cujuſcunque provinciæ exercitis, & in ſacris canonibus continetur.

VII. Illud,

Digitized by Google

VII.

Illud, quo illuſtratur hæc Suprema Poteſtas, eſt, leges a Romana Sede omnibus ſœculis eſſe latas, iis omnes Chriſti-fideles ubique terrarum, non ſolum pœnæ, ſed etiam culpæ formidine fuiſſe obſtrictos. Calumnias igitur hæreticorum refellentes, in Romano Pontifice reſidere facultatem ferendi leges ad ſalutem animarum ſpectantes, ſecundum Scripturarum locutiones, uſu cujuslibet temporis confirmatas aſſerimus, atque ex illo: *Deut. c. 17. Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore adminiſtrat Domino Deo tuo, ex Decreto judicis moriatur homo ille*, omnes contumaces judicio Dei puniendos defendimus.

VIII.

Non minus ſplendoris haberet veritas primatus jam ſtatuta, ſi Pontifex Romanus eſſet judex controverſiarum in Fide, & moribus. Heterodoxi ea, qua tabeſcunt in ſucceſſorem D. Petri, invidia, dummodo abjudicent ab eo hanc prærogativam, ipſam concedunt ſolis Scripturis, ſoli Principi laico, imo ſpiritui privato cujuſcunque etiam rudis, atque illitterati, immo ſtudio partium abrepti: at Papam noſtrum judicem eſſe, quo omnes Religionis quæſtiones dirimantur, innumera ſcripturarum teſtimonia, Patrum, & omnium Fidelium conſenſus demonſtrant.

IX.

Digitized by Google

I X.

Eſt in confeſſo apud omnes, aliquem Petro ſucceſſiſſe in cathedra Romana, adeoque perfectam ſervari Epiſcoporum ſucceſſionem; diſputant tamen Eruditi de eo, qui primus tenuit Cathedram D. Petri e vivis ſublati. Alii putant fuiſſe Clementem, alii Linum; nos ſecundum a Petro fuiſſe Linum, deinde Cletum, tandem Clementem, probabilius putamus.

X.

Multa de Marcellino circumferuntur. Eum terrore, miniſque correptum idola coluiſſe accepimus: hæc autem Papebrochius, Pagius, Natalis Alexander, Tillemontius adamuſſim diſcutientes, fundamentis deſtituta, ficta, adeoque contemnenda detegunt, eumque ab hoc cultu immunem fuiſſe deducunt, quibus, utpote Critices peritiſſimis, adhærentes, Pontificem hunc Cathedram Petri hoc crimine non polluiſſe, ſuſtinemus.

X I.

Tria de Liberio tempora ſpectare debemus; alterum ab initio Pontificatus uſq. ad exilium, & pro hac annorum differentia acerrimum Fidei Nicœnæ defenſorem colligimus; alterum, quo ab exilio reverſus Romam, & Orthodoxum negare non poſſumus: tertium exilii, & de hoc

Digitized by Google

hoc gravis eſt inter Criticos diſceptatio. Verum, ut ut defecerit a conſtantia Athanaſium excommunicando, cum Arianis communicando, formulæ, quæ catholicum redolebat ſenſum, ſubſcripſiſſe, contendimus.

XII.

Diſſimulare non poſſumus, Vigilium Papam ex quadam prudentia, & ſapienti œconomia diu, multumque damnationi trium Capitulorum, ſcilicet epiſtolæ, quam Iba miſerat ad Marium Perſam, ſcriptorum, quæ Theodorus Mopſueſtenus ediderat, & diſputationum, quas contra Cyrillum intorſerat Theodoretus, reſtitiſſe, immo etiam reprobaſſe. Poſtea vero nunquam deſiſtens inveſtigare, quid de prædictis in Patrum litteris verius inveniri poſſet, tandem retractans, ſalva, quæ habetur, in materia Fidei, aſphalia, damnavit, & epiſtola ad Synodum V. ſcripta, quam e cineribus excitatam Petrus de Marca vulgavit, omnem erroris ſuſpicionem ex hominum mente abraſit.

XIII.

Vix credi poteſt, quandiu inſudarint, ſtuduerint, quotque modos excogitarint Theologi, ut Honorium ab Hæreſi Monothelitarum immunem, vereque catholicum oſtenderent: inter cœteros Recentiores quidam excelluerunt, qui hunc Pontificem ſumma eruditionis gloria, cla-

Digitized by Google

riſſimis antiquorum teſtimoniis, certa ab incertis, vera a falſis ſecernentes, ab hæreſeos nota vindicarunt. Horum ergo præeuntium veſtigiis inſiſtentes, numquam hujus erroris fuligine tinctum, oſtendere conabimur.

X I V.

Ut in Romanum Pontificem ſimplicis, & imperiti vulgi contemptum, atque odium moveant Recentiores hæretici, jactitant, poſt Leonem IV. a. 847. electum ſediſſe fœminam quamdam meretricem nomine Joannam in cathedra D. Petri, hocque argumento inferunt, Romanam Eccleſiam meretricis Babylonicæ formam induiſſe. Pari itaque conſtantia, qua negamus, Romanum Pontificem evaſiſſe Antichriſtum, factum hujus fœminæ inter fabulas recenſemus.

X V.

Nihil omiſerunt Hæretici, ut Gregorium VII. omnimode deprimerent; ipſum enim per vim militarem, quam ipſe ſibi pecunia comparaverat, invaſiſſe Pontificatum, nemine Cardinalium ſubſcribente, & ſine ullo Cleri conſenſu, finxere: Henricum IV. inſontem ab ipſo excommunicatum, effutiere, aſſeclam Berengarii virum deterrimum, ſimoniacum, magum, adulterum, homicidam prædicavere. Horum autem calumnias, ſi quis auctoritatem eorum, qui Fide digni ſunt, attendat, evaneſcere penitus perſpiciet.

XVI. Joan.

XVI.

Joannes XXII., cum plures legeret S.S. Patrum libros tradentium, animas non recipi in Cœlum, neque facie ad faciem videre Deum, niſi poſt extremi judicii diem, propendens in hanc ſententiam, horum Doctorum teſtimonia collegit, favit eis, qui huic ſententiæ adhæreſcebant, adverſatus fuit iis, qui contradicebant; nullum tamen edidit decretum, quo hanc Fide Divina tenendam doctrinam, ſtatueret. Immo morti proximus, animas perfecte purgatas, ſtatim ad viſionem Dei recipi confeſſus eſt, & hæc omnia veritati conſona, nobis tuendum eſt.

XVII.

Miſſis concertationibus, quæ ad ſingulos Pontifices ab Hæreticis accuſatos ſpectant, redeamus ad eorum dignitatem, eoſdemque cum Oecumenico Concilio collatos ſpectemus. Inter ea, quæ prius ſe exhibent diſcutienda, eſt, utrum Ipſius, ſit Preſules ex omni Mundi parte convocare: Lutherus, Calvinus, Molinæus, Nilus, aliique hujus furfuris homines, Imperatores congregandi auctoritate hac pollere autumant; nos tamen hanc & Scripturarum teſtimoniis indicatam, et exemplo omnium ſæculorum confirmatam in D. Petri ſucceſſore proſpicientes, omnia, quæ aliquam veritatis ſpeciem oſtentant, argumenta oppoſita diluemus.

XVIII. Tres

Digitized by Google

X V I I I.

Tres ſunt tamen hypotheſes, in quibus ſuboritur dubium, num ab alio, quam a Papa poſſit fieri hæc convocatio; ſcilicet, quando ipſe aut nollet, aut eſſet de hæreſi ſuſpectus, aut apud infideles detentus, aut aliis modis impeditus. Has vix fieri poſſe putamus; ſi vero futuras excogitemus, quicunque, ab ipſa Eccleſia indici poſſe Synodum generalem, ut ut eſſet imperfecta, neget, ipſum Divinæ providentiæ legibus adverſantem demoſtramus.

X I X.

Calumniatores Eccleſiæ, qui facultatem congregandi univerſos Præſules ab Epiſcopo Romano abjudicant, inde officium Præſidis ab eo excludendum inferunt. Nos igitur, qui primam vindicamus prærogativam, ipſum per ſe, vel per ſuos Legatos eſſe Caput, cui omnes obedire debent, Rectorem, ne a Fidei veritate aberrent in condendis definitionibus, ſupremumque Judicem, quo acerrimæ Religionis lites abſolvuntur, conſtantiſſime aſſerimus.

X X.

Quamvis autem eo devenimus, ut ſtatueremus, Romæ Pontificem, & Judicem, & Præſidem Conciliorum Generalium, nihil Epiſcoporum excellentiæ detrahimus; ipſi enim ſunt veri Judices in cauſa Fidei, & in diptychis ſem-

ſemper eorum nomina Scripta, eoſque hoc judicandi munere functos non ſolum exemplum decem & octo Synodorum, ſed ipſa Apoſtolorum Traditio edocet.

XXI.

His ita Divina providentia conſtitutis, ſequitur, omnem erroris ſuſpicionem ab Eccleſia evaneſcere, & veritates Divinas mirabili quodam modo nobis innoteſcere. Concilia enim Oecumenica convocata, directa, & a Romano Pontifice confirmata, Spiritu Sancto, qui docet omnem veritatem, aſſiſtente, in definitionibus Dogmaticis, neque potuerunt, neque poterunt unquam errare. Hæc igitur veritatis eſſe columnas, nullus ambigendi locus relinquitur.

XXII.

Ut aſphaliæ laudes ab Eccleſia in unum convenientes tollant nonnulli, Synodum Quiniſextam, ſeu Canones Trullanos poſt quintam, & ſextam ab iis, qui in Oriente degunt, conditos, eoſque plurium Pontificum conſenſu approbatos, objiciunt. Hanc igitur Synodum nullius roboris, & auctoritatis eſſe, canoneſque, ſi excipias, quos adoptarunt Epiſcopi Romani, univerſa etiam acceptante Eccleſia, alii tamquam nullam vim habentes, alii tamquam iniqui, & Ethices Chriſtianæ regulis, & legibus adverſantes rejiciendi videntur.

XXIII. Ne-

Digitized by Google

104

XXIII.

Nemo ibit inficias, Patres Ariminenſes non omnino cautos fuiſſe, & vocem *Omouſion*, inſtantibus Urſacio, & Valente, qui Fidem Catholicam ſimulabant, blaſphemiaſque in Arianos intorquentibus, quaſi temere abraſiſſe: attamen Formulæ ſibi ab Arianis oblatæ, cum adhuc ſenſum Catholicum præſeferret, in eam hæreſim intus, & animo lapſi non fuerunt.

XXIV.

Ut Novatores efficiant, Eccleſiam, ſeu majorem Epiſcoporum partem una cum Summo Pontifice errare poſſe, ac deficere, toti in eo ſunt, ut oſtendant, Patres Ariminenſes, quos hæreſeos labe pollutos exiſtimant, numero multo plures fuiſſe aliis Epiſcopis, qui univerſis Chriſti ovibus præſunt. Verum ſi eos, qui ſumma eruditionis laude Sedes Epiſcoporum omnes recenſent, animo non præjudicato perlegant, numero longe inferiores fuiſſe, deprehendent, ac nobiſcum, incorruptam in pluribus Fidem perſeveraſſe, conſentient.

FINIS.

99 944782

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google